

nec refert, sive stipulatione sive pacto ad eam contrahens se obligaverit, cum hodie eadem vis sit pacti, quæ stipulationis. Schnobel. *disp. ad ff. 25. th. 19.* Quando contra prohibitionem legis res litigiosa emta, venditaque, fisco acquiritur pænâ, *l. 1. pr. de I. F.* & quidem sciens comparans non solum tenetur rem restituere, sed etiam pretium amittit, fisco applicandum, cui & alterum tantum improbus venditor pænæ nomine inferre jubetur, cum utriusque sit pars delictum, ac ubique dolosæ violationis subsit præsumtio. *l. fin. C. de litig.* ignorantia vero emtoris ponit ipsum extra pænâ, datque licentiam repetendi pretii, cujus tertia pars eidem à doloso venditore superadditur; *l. f. §. 1. C. d. t.* reliquis duabus fisco illatis, secundum Peregr. *l. 4. t. 6. n. 28.* Perez. *ad Cod. de litigios. n. 6.* Zæsl. *ad ff. eod. n. 5.* à quibus tamen alii dissentiunt, & non sine ratione etiam hoc in casu fisco simpliciter deberi statuunt. *vid. gl. ad d. l. f. verb. recipiat.* Vendita quoque re alienari favore publico prohibita, uterque contrahentium ad fisci commodum punitur. *l. 52. de contrah. emt. junctâ l. f. D. de Damn. inf.* Peregr. *l. 4. tit. 7. n. 15.* §. 15.

Aliam ob causam, præter pænâ, acquiritur quid fisco, I. quod bona sint vacantia, Erblose Güter/ illius scil. defuncti, qui nullum ex qualibet sanguinis linea, vel juris titulo legitimum successorem reliquit intestatus, per *l. 4. C. de bon. vacant. lib. X.* An autem per sanguinis lineam omnis cognatio cujuscunque ordinis, descendentium scil. adscendentium & collateralium intelligatur, ejusque ratione in infinitum fiat successio, Dd. valde disputant. Affirmat hoc Boccr. *de reg. c. 3. n. 30.* Bachov. *ad Inst. §. ult. de success. cognat.* Schnobel. *disp. ad ff. 18. th. 27.* Dissentit Peregrin. *in l. 4. t. 3. n. 3.* & alii, quos allegat Herm. Lather *de censu lib. 3. c. 1. n. 10. per d. §. fin.* in quo tamen Imper. non terminum, intra quem successio cohibeatur, præfinire voluit, sed oppositive ad cognatos (quos ad sextum usque gradum à Prætor vocatos fuisse ex d. §. constat) ita locutus est, ut sensus sit; quanquam cognati, quibus Prætor dat bonorum possessionem, ad sextum duntaxat gradum succedant, attamen agnationis jure ulterius admittuntur, etiamsi decimo sint gradu. Atque sic apparet, Imperatorem hæc non determinative